



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

Qvæst. XXXII. Vtrum detur aliqua causa prædestinations ex parte
prædestinati, & aliquis peculiaris effectus eiusdem ex parte Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Voluntas autem illa prior, qua Deus vult gloriam esse causam finalem bonorum operum, & vicissim bona opera esse causam meritoriam gloriæ, modo explicato, est intrinsecè præmiatua, & intrinsecè diuersa à voluntate purè gratiosa, conferente gloriam independentè à præexistentia meritorum: nec prædefiniente merita ipsa simul cum gloria. Quia voluntas purè gratiosa non vult dependentiam eius, quod confert, a meritis: eo namque ipso definit esse purè gratiosa, quoad bonum à se distinctum, quod confert, tametsi essetatiuè, & secundum se præcisè sit purè gratiosa. Nec enim debetur meritis nostris voluntas ipsa diuina, qua confertur præmium, cum sit bonum infinitum, sitque ipse Deus, cui secundum se, & secundum prædicata identificata secum realiter, repugnat ratio debiti, solum igitur obiectum voluntatis diuinæ, quod Deus vult, vt dependeat à meritis, est quod debetur eisdem meritis. Talis itaque voluntas, & non qualem intendit obiectio, est subintelligenda in testimoniis reddentibus rationem gloriæ ex meritis, inque aliis eiusmodi. Nec mouere quemquam debet, quod in illis exprimantur actus diuini iuxta modum nostrum concipiendi, & iuxta ordinem rationis extrinsecum expositum superius art. 5. alicubi quidem relatè ad intentionem, & electionem creatas, alibi verò relatè ad cognitionem meritorum, & ad voluntatem remuneratiam, itidem creatas. Id enim fit, non ad explicandum ordinem obiectuum intrinsecum actuum diuinorum, sed ad ad commodiorem intelligentiam lectorum, vt obseruat optimè agens de hac eadem interpretandi ratione D. Augustinus c. 18. de Bono Perseuerantiæ, sub finem. Quapropter concessio antecedenti obiectio, negatur consequentia cum probationibus eius, ad quas patet sufficienter ex dictis.

Ad 4. Qui negant possibilem prædefinitionem penitentiae ante præsumptum absolute peccatum, non nituntur dependentia penitentiae à præexistentia peccati veri, vel existimati, sed sequela volitionis efficacis Dei, circa peccatum, quatenus qui vult aliquid efficaciter, & absolute, necesse est vt velit omnia, sine quibus illud existere nequit, & nondum existunt, aut videntur existentia. Cuius rationis nulla est paritas, respectu bonorum operum, vtpotè volibilium, atque prædefinibilium à Deo. Quare transmissio antecedenti, negari potest consequentia. Sed fatius est negare antecedens, quod puto esse falsum cum Molina, Granados, Montoya, & aliis apud ipsos, contra Suarez, & alios; idque propter rationes vniuersales indicatas supra art. 2. & 3. quæ æquè, quoad hoc, conuincunt, vt patet consideranti. Ad sequelam propositam in obiectione respondetur, nullam esse necessitatem volendi, quod est necessarium ad effectum efficaciter præintendum, tametsi nondum illud videatur existens, dummodò certò præuideatur id esse ponendum à parte rei ab alio, tametsi nec velit illud positiuè, nec ad illud cooperetur, sed tantum permissiuè se habeat, qui intendit talem effectum. Deus autem cognoscit peccatum ponendum esse ab homine, cuius penitentiam ipse intendit, tametsi Deus ipse non velit illud positiuè; nec homini eatenus cooperetur, sed tantum ei permittat, vt peccet. Nec enim ex necessitate obiecti ad effectum sequitur necessaria coniunctio voluntatis cum voluntate circa vtrumque, si alterum obiectum tale sit, quod existere possit, sitque exiturum defacto, quin sit volitum à volente alterum obiectum. Sicut enim volito aliquo, non propterea necesse est velle obiectum minimè necessarium ad obiectum prius; ita concepta vna voluntate, non propterea necesse est concipere voluntatem aliam, qua non concepta, & non existente potest expleri, & cognoscitur ex-

plenda voluntas prior. Nulla igitur sequitur in Deo necessitas volendi, & sua cooperatione inducendi peccatum propter penitentiam absolute, & efficaciter præintendam ante peccatum absolute præsumptum, sed sufficit, quod ea præintentione simul sit voluntas purè permissiua peccati.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum detur aliqua causa prædestinationis ex parte prædestinati, & aliquis peculiaris effectus eiusdem ex parte Dei?



IDEVR neutrum dari. Non quidem causa ex parte prædestinati. Quia Deus prædestinat ante merita absolute præsumpta, vt dictum est quæst. præcedenti. Prædestinatus autem, per solam anteriorem præsumptionem absolutam suorum meritorum, posset esse causa suæ prædestinationis, si quo modo posset. Ergo nullo modo absolute potest esse causa suæ prædestinationis. Sed neque ex parte Dei datur vllus effectus peculiaris. Quia Deus, quantum est ex se, vult omnes homines saluos fieri, & omnibus promiscuè confert, quantum sufficit, ad consequentiam vitæ æternæ, ac deinde relinquit vnumquemque in manu consilij sui. Ergo totum discrimen prædestinati à reprobo pronenit à solo vtriusque libero arbitrio eligente vitam, vel mortem pro libito, cum potestate absoluta, & antecedenti prædestinati ad suam reprobationem, & reprobi ad prædestinationem suam.

Art. 1. Respondetur. Manifestum est ex quæst. præcedenti, nullam ex parte prædestinati dari posse causam prædestinationis sumptæ actiuè pro actibus intellectus, & voluntatis, quibus prædestinat nos Deus. *Nullus namque fuit ita insana mentis, vt dicit D. Thomas q. 23. artic. 5. qui diceret merita esse causam diuinæ prædestinationis ex parte actus prædestinati.* Quæstio igitur est de causa prædestinationis sumptæ passiuè pro effectibus, quos inducit in tempore æterna Dei prædestinatio. Effectus porro prædestinationis non sumitur ab omnibus eodem sensu, imò neque ab iisdem vbique. Vnde solet esse plurima quæstio de voce circa præsentem materiam. Cui incommodo vitando exponitur ordine, & determinabuntur variae eius vocis vsurpationes. Primò itaque sumitur effectus prædestinationis latissime pro omni eo, quod quomodolibet, siue intrinsecè, siue extrinsecè est ordinatum, & conferens ad finem vitæ æternæ, respectu eorum, qui illam consequuntur defacto. Quo pacto nihil prorsus est in rerum natura, quod non habeat rationem effectus prædestinationis, tum omnium prædestinatorum coniunctim, tum singulorum seorsim. Quia defacto omnia propter electos operatus est Dominus, atque omnia voluit illis cooperari in bonum, ex Rom. 8. 28.

Art. 2. Secundò sumitur pro omni eo, & solo, quod intrinsecè, & ex sua natura confert ad consequentiam vitæ æternæ, siue intrinsecum, siue extrinsecum id sit prædestinato. Atque hoc pacto omnia, & sola dona supernaturalia, actualia, & habitualia, tum intrinsecè inhærentia vnicuique prædestinato, tum eidè extrinsecè, & conferentia ad infusionem donorum intrinsecè inhærentium, qualia sunt merita Christi Domini, & Sacramenta, ipseque Christus Dominus

minus, & institutio Sacramentorum; necnon orationes Ecclesiarum, & singulorum ad inuicem fidelium, numerantur inter effectus prædestinationis. Porro circa effectum prædestinationis his duobus modis usurpatum duo sunt certa. Certum namque primum est apud omnes, etiam hæreticos, nullam dari causam meritoriam, ex parte prædestinati respectu omnium effectuum prædestinationis collectivæ sumptorum. Quia nemo habet ex meritis ipsa saltem sua prima merita, existentiam Christi Domini, & meritum eius, & plura eiusmodi alia. Certum rursus est apud omnes Catholicos, aliquos saltem effectus prædestinationis cadere sub merito prædestinati; nempe ipsam saltem vitam æternam consequutionem.

Art. 3. Tertia effectus prædestinationis usurpatio, eaque longè frequentior, & apud plerisque Theologos unica, dum nihil aliud additur huic voci, est pro dono inherente, intrinsece ipsi prædestinato, & intrinsece conferenti ex sua natura ad consequutionem vitam æternam, necnon pro ipsa vita æterna, idest, pro omni, & solo dono supernaturali afficiente prædestinatum intrinsece. Circa effectum prædestinationis hoc modo sumptum tria sunt certa; Primum est, nullam dari causam meritoriam, ex parte prædestinati; respectu omnium effectuum prædestinationis collectivæ sumptorum. Quia primum saltem auxilium gratiæ, primumque opus meritorium confertur uni cuique à Deo purè gratiosè, quantum est ex parte cuiusque prædestinati. Ita definitur à Conc. Milen. can. 3. 4. & 5. & à Conc. Carthag. in Epistola ad Innocentium Papam 90. inter Augustinianas, atque ab ipso Augustino docetur sæpè integris voluminibus, maxime verò in Libro de Prædestinatione Sanctorum, adversus Pelagianos, & Semipelagianos, dupliciter circa hoc errantes. Nimirum, quatenus primam gratiam, asserunt, tribui propter merita præhabita ex sola sufficientia naturæ, secundum se; & quatenus in operibus purè conditionatis agnoscebant vim meritoriam donorum, quibus prædestinatus discernitur absolute à reprobo. De quibus alius est dicendi locus ex professo, & plura habentur in qq. de Gratiis iuxta intentionem Apostoli dicentis 2. Timoth. 1. 9. *Et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.* Cui consonat ex communi PP. intelligentia illud ad Rom. 9. 12. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Quia maior, &c.*

Art. 4. Certum rursus est, omnes eosdem effectus prædestinationis esse ex meritis Christi Domini, ac proinde merita Christi esse causam meritoriam totius prædestinationis passivæ respectu omnium prædestinatarum, præter ipsum Christum, ut habetur q. 41. de Incarnatione, iuxta illud ad Ephes. 1. 3. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in celestibus in Christo.* Idem effectus possunt singulis provenire ex merito congruo, & precibus aliorum pro ipsis, Deo ordinante preces unius in salutem alterius, iuxta illud Augustini c. 22. de Bono Perseverantiæ. *Si qui non datus sunt vocati, pro eis, ut vocentur, oremus. Fortasse enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur.* Et sermone 1. de Beato Stephano. *Paulum Ecclesia non haberet, si Stephanus non orasset.* Per dependentiam scilicet eorum bonorum à precibus, & orationibus, similem illi, quæ in questione precedenti expressa est uniuersim in præmiis respectu meritorum. Causalitas eiusmodi meritoria tribuitur Beatæ Virgini uniuersaliter respectu omnium, quoad omnia, à Quirino c. 21. de Concept. & Proverb. 8. 19. atque ab aliis nonnullis, & quidem valde probabiliter.

Art. 5. Certum denique est, vnumquemque prædestinatum præhabitis prioribus effectibus prædestinationis absque ulla suo merito, posse deinde per

merita sua inducere alios, atque alios ulteriores effectus, ac proinde dari posse ex parte prædestinati causam meritoriam suæ prædestinationis passivæ sumptæ inadæquatè. Quæ omnia exponuntur luculentius, & confirmabuntur in qq. de Merito Humanorum actuum, quod ea directè pertinent.

Art. 6. Postrema acceptio effectus prædestinationis est pro dono, formaliter, & per se discretivo prædestinati à reprobo, quale est, respectu vitæ præsentis, perseverantia finalis in gratia, & respectu futuræ, gloria. Respectu utriusque huius doni dari potest causa meritoria ex parte prædestinati, de congruo quidem respectu perseverantiæ, respectu verò gloriæ, etiam de condigno, ut ostendetur in iisdem qq. de Merito. Ex iis omnibus patet satis ad rationem dubitandi. Quia quod attinet ad causam prædestinationis, ex parte prædestinati, procedit de sola prædestinatione activè sumpta, quæ iam exempta est ab omni causalitate creata. Quoad effectus verò prædestinationis nihil conuincit. Quia præter dona Dei communia prædestinato, & reprobo, dantur alia, quæ conferuntur solis prædestinatis, suntque impossibilia cum peccatis, saltem cum impoenitentia finali, & cum damnatione, quin propterea tollant libertatem, & cooperationem nostram. De quo dicitur infra ex professo.

QVÆSTIO XXXIII.

Utrum detur in Deo reprobatio, sicut datur prædestinatio?



IDE TUR non dari. 1. Quia si in Deo daretur reprobatio, sicut datur prædestinatio, ex Deo esset perditio eorum, qui damnantur; sicut est ex Deo salus eorum, qui saluantur. Quod est contra illud Osee 13. 9. *Perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.*

2. Si daretur in Deo reprobatio, sicut prædestinatio, daretur etiam liber mortis, sicut datur liber vitæ, de quo est frequens sermo in scriptura, & apud Sanctos PP. Constat enim librum vitæ esse indistinctum realiter ab ipsa prædestinatione. Ergo reprobatio esset similiter indistincta à libro mortis. Sequela autem reiicitur ab omnibus, cum D. Thoma q. 24. art. 1.

Art. 1. Respondetur. Certum est ex fide, Deum excludere aliquos à regno Cælorum, & punire poena æterna, tum damni, cum sensus. Ea autem exclusio, & punitio dicitur reprobatio, potestque definiri ad instar prædestinationis: *Præscientia, & permissio peccatorum, ob quæ certissime damnantur, quicumque damnantur; seu relinquuntur.* Vnde apparet reprobationem differre primum, ac principaliter à prædestinatione, quatenus prædestinatio vi, & causalitate sua inducit omnia media perducunt ad vitam æternam (inter quæ sunt merita nostra) eaque intendit positivè, atque efficaciter, & absolute prædestinat: ac proinde prædestinatio continet in se præscientiam eorum tantum, quæ facturus est Deus in nobis, partim sine nobis, partim nobiscum, ut supra dictum est ex Augustino. At reprobatio non inducit vi, & causalitate sua, nec intendit positivè, aut prædestinat ea, quibus quis excluditur à vita æterna: ac proinde continet in se præscientiam eorum, quæ facturus est homo absque cooperatione Dei, quæque insunt homini ex se præcisè, quatenus perducunt ad terminum reprobationis. Hac de causa providentia perducens ad vitam æternam nuncupatur communiter dilectio,

K electio.